47 F. 16. 6

DISSERTATIONES DUÆ ANTI-SOCINIANÆ,

In quibus probatur

1. *Socinianos non debere dici Christianos.*
2. *Solam Rationem (quo fundamento nituntur Sociniani) ad percipienda fidei mysteria non sufficere.*

QUIBUS

Adjicitur Discussio illius Quæstionis,

An bona infidelium opera sint peccata: Aff.

AUTORE

EDWARDO BAGSHAW A. M.
ex Ædе Christi Oxon.

BIBL. CANT. ACAD.

LONDINI,
Excudebat ROGERUS DANIEL,
MDCLVII.

803 \ 03

Eminentissimis Viris,

COLLEGII SCHOLÆQUE WESTMONASTERIENSIS

Præsidibus Egregiis, ac Munificentissimis Patronis,

Salutem.

Honoratissimi Præsides;

CUm & Vestra, in me, merita, meamque, ergà Vos, observantiam testatam facere, mei officii esse duxerim; statim ac in Vestrũ Collegium fueram per Vos cooptatus, Vestræque inde Curæ pars aliqua esse cœperim, quod destinavi

pridem tum demum serio effectum dare mecum statui: dum itaque totus in hoc sum, dum Libros repeto, dum Musæum undique perscrutor, dum singulas schedas excutio, omnique opera quidpiam, quod etsi nequaquam Vobis dignum, tamen eo, quem Vos ornatum esse voluistis, non prorsus indignum, reperire allaboro, incidi in Dissertationes hasce, quas, si stylus meus non deformaverit, satis à Materia Vobis commendatas fore non diffido. Quid enim is, cui Vos tenellam

lam ætatem rudesque annos formandos demandastis, prius ac antiquius habeat, quam ut, cum aliqua literarum peritia, simul, animum veræ Pietatis studio incensum Vobis approbaret? aut, si nihil aliud spectetur, adversus quos is, qui hactenus in Theologiæ Palæstra sacrisque armis institutus fuit, libentius deprælietur, quam juratos Nostræ Religionis hostes? Quidni insuper putem, molles flexilesque, quibus præsum, animos horum odio quam-

primum esse imbuendos; ut priusquam, quos hic revinco, Errores bene noverint, discant odisse; &, ut veritatis amore præoccupati, ad ingruentium postea hæreseon insidias firmati antè sint, ac penitus obsepti? Ad ista itaque, quæ cernitis, edenda nihil me illorum impulit, quæ solent parum cautos in fraudem temere vulgandi scripta inducere: neque enim vel Famam ambio, cujus jam tantum habeo, quantum Vestrum de me judicium sit apud alios valiturum; neque

que Eruditionem, si quam habeo, ostentare cupio; in qua & pudet me non amplius profeciſſe, & tamen, dum huic, quam mihi credidiſtis, ſedulus incumbo provinciæ, ulteriorem mihi penitus amputavi progreſſum: multo minus videri vellem ideo hæc qualiacunque protuliſſe, quod vulgari morbo affectus, inſcripturienti hoc, & Præla non minus quam Lectores oneranti, ævo, quieſcere me ac publico abſtinere non facile paterer. Certe ſi validiores cauſæ non permoviſſent, hæc ab-

ſterruiſſet plane : verum & Vobis me gratum facturum exiſtimavi , ſi Beneficium veſtrum aliquatenus remunerari velle potius habuerim, quam tacitum præterire; tum etiam Veſtræ huic Scholæ pie me conſulturum ſum arbitratus, ſi quibus in ſtudiis ipſe fueram enutritus palam oſtendero , eoſque , ad eadem proſequenda , exemplo domeſtico excitarem. Valete Fæliciter.

Honoris veſtri ſtudioſiſſimus ac devotiſſimus Cultor,

EDW. BAGSHAW.

Proœmium.

SI in hujuſmodi velitationibus daretur querelæ locus, & cum pugnæ inſtandum ſit, illachrymari liceret neceſſitati pugnandi, omiſſa diſputatione, deplorarem ego præſentem Eccleſiæ Chriſtianæ ſtatum, quæ inter Factiones diſcerpta, & ſolito fulgore deſtituta, vel in tenebris quaſi deſolata & tantum non extincta jacet; vel zizaniis obſita & alieno ſemente pæne oppreſſa, triticum fovere, nativoſque ac debitos fructus producere tanquam effœta deſiit. Nimirum inter tot veteres reſuſcitatas Hæreſes, totque nuper enatas novas, neglecta, pro qua tamen contenditur, Veritas, nec locum habet, nec invenit Patronum: nam idem fere eſt ſectarum ac hominum nu-

merus, & Opinionum non minor quam Faciorum varietas. Nova quotidie, quæ ad cœlos ducat, excogitatur via; quam adeo confusam, adeo incertam reddit Ducum multitudo, ut ambitiosa præeuntium frequentia laborantes, nesciamus prorsus quem tuto & intrepide sequamur. Interim Universi vinculum Pacis dirupêre, dum nituntur singuli sua potius tueri Dogmata, quam scrutari vera.

Verum illis bene ominari possumus, quotquot leviter & humanitus erraverint; quotquot suo zelo indulgentes non tam Pietate, quam Pietatis methodo ac disciplina discrepent, & dispari licet via, eandem tamen affectent Metam: atqui Hæresin illam, quam *Socinus* innovavit, toto cœlo proscribimus, & communis ejusdem Ecclesiæ consortio frui non patimur;

mur; quandoquidem præcipua Religionis Noſtræ capita evertat, & cum Chriſto Noſtro, ipſum funditus tollat Chriſtianiſmum.

Errorem vero iſtum (mitiori quam par eſt nomine flagitium appello) ſub alieno nomine detectum olim ac explosum, miror ipſis hodie Sectariis non diſplicere: quum præmortuam Hæreſin, ac ſedatos Erroris manes interquieſcere ac in æternum ſilere non permiſerint, quam ipſi famam venati ſint, neſcio; ſcio quam mereantur. Scilicet, dum ſibi glorioſum fore putaverint, alienas Hæreſes ſibi adoptare, & Errores, quos non invenerunt ipſi, defendere; æquum eſt ut deinceps Chriſtiani compellari nolint, ſed quorum Dogmata defendant, eorum tantum Cognomina ſortiantur.

Fortaſſe nimis leve ſupplicium, niſi

(nisi à Christianorum Privilegiis excludi habeatur gravissimum) decernere videor adversus viros qui Errore hoc uno (quo Christum, qui se ubique Filium Dei vocat, nihil aliud volunt esse quam Filium Hominis) eoque atrocissimo non contenti, omnes sectarum omnium sordes & Hæretica inquinamenta, in Doctrinam suam tanquam in Sentinam derivarunt; solitariam & unius generis impietatem profiteri non sat habentes, multiplicem sectantur, & Honorem quærunt in Sacrilegio: hinc quicquid ab aliis vel leviter vel nefarie dictum est, id Hi serio defendunt, & in Catechesin inserunt tanquam in Errorum spicilegium. Quibuscunque inhærent Libris, inde tantum Errata seligunt; & quicquid alibi perperam scriptum est, id sibi serio vendicant, suoque dignantur

tur Patrocinio. Non aliter ac Serpens, vafrum illud Hæreticorum Emblema, dum hinc inde prorepit, & infectas lambit herbas, humoremque lethalem exſugit; innoxium, dum latebat, ſuccum, in pernicioſiſſimum virus converrit, & collectaneum digerit venenum.

Neque tamen mirandum eſt, quod tam Heterodoxa Opinionum varietate laborent Sociniani, cum iis innitantur Principiis, quæ ſi quis urgere audeat, vel Religionem plane omnem tollet, vel ſaltem mutilam relinquet, &, qualis ipſorum eſt, prorſus imperfectam. Illi enim nullo œſtro perciti, aut ſpiritus uſi prætextu, (quæ duo commenta jam potiſſimum ad Hæreſin ſternunt viam) primi, ad evertendam Eccleſiam, (uti Cæſar olim Remp.) ſobrii acceſſere; dum Rationem

tionem prætendunt, & ad fallaciſſimum Humani examinis ſcrutinium provocant; non attendentes interim quoddam inſaniæ genus eſſe, Intellectus vires ac menſuram non noſſe: ſi quis enim Rationis, quam jactant, metas ac terminos perpendat, ſciet is eam ad Divina uſque pertingere non poſſe. Myſteria tanta intueri non poteſt mortalis Acies, ideo nec inveſtiget; nec in ſplendorem penetrare cupiat, quem capere non poſſit. Certe qui ex ingenio ſuo metiuntur omnia, eaque quæ non intelligunt, deridunt, Dei Potentiam anguſtis adeo cancellis circumſcribunt, & infinitam vim tam modico, tam arcto ſpacio concludere fatagunt, ut, ſi in illud coarctetur, locum, in quo tanta ſe virtus exſerat, non habebit.

Nimirum (ut iſti præcipue inſiſtam

sistam Dogmati, quod Sociniano-rum peculiare est) quicunque Ra-tioni suæ sisi, æternam Christi Di-vinitatem impugnent, quid aliud faciunt, nisi ut Deo pariter Homi-nibusque sint injurii; dum Illum comprehendere videri volunt, & Nos Salvatoris merito fraudare? quantum enim Salvatoris Nostri Potentiæ detrahitur, tantum & Sa-lutis per illum partæ amplitudini decedit. Qui redemptionem per Christum præstitam, Metaphori-cam vocant, & liberationem tanti constantem in leves Tropos ac Fi-guras detorquent; quanta iis ere-ptum eunt solatia, qui sceleribus suis oppressi, ea gravamina in Re-demptoris sui humeros deonerare gestiunt? quam impudenter itidem ipsi Christo imponunt, qui ideo se venisse asseverat, ut, citra Metapho-ram, tolleret Peccata Mundi? Re-

vera

vera, si hoc sic abeat, & Viri improbe audaces, S. Scripturæ ejusmodi interpretamenta impune assuant, brevi Christum vixisse elegans tantum Figura dicetur, & Vita ipsius, æque ac Mors, Scenica solum erit ac Metaphorica.

Adversus Socinianos itaque affirmo

1. *Quamdiu Christi Divinitatem negent, eos Christianos non esse.*

2. *Quamdiu merum Rationis ductum sequantur, eos Christianos esse non posse.*

THESIS PRIMA.

Sociniani non sunt dicendi Christiani.

ASsertio ista potest probari triplici Argumento.

I. *Autoritate Ecclesiæ.*

II. *Autoritate Scripturæ.*

III. *Ex Analogia quæ intercedit inter Doctrinam Socinianam & Ethnicam.*

PRIMO, *Autoritate Ecclesiæ*: Si enim ex (a) *Veteris Ecclesiæ* Iudicio ac Praxi, dirimenda esset hæc Controversia; & illud denuo statuendum foret, quod olim statutum est; illico de *Socinianis* actum esset,

B

(a) *Vide* Athanas. *Orat.* 1. 2. 4. *idem hoc Argumentum pertractantem.* *Christianus sum, non Arianus.* Hilar. *ad Constan.* *Paulianistas rebaptizari omnino volebat Synodus Nicena. Can.* 19. *Alexander Alexandriæ Episc. vocat Hæresin Arianam* Ἀποστασίαν ἢ Ἀντιχρίστου πρόδρομον. Socra. *lib.* 1. *cap.* 3. *ib. cap.* 6. *Constantinus in Edicto suo vocat Arianos, Porphyrianos, nempe, inquit,* ἵνα οἱ τοὺς τρόπους μιμούμενοι, τύπῳ ἔχωσι τῆς συγγενείας.

esset, quorum Sententiam in *Arianorum* Hæresi novimus esse prædamnatam: *Ariani* enim, licet erga *Christum* Religiosi, &, saltem si cum *Socinianis* comparentur, pænè modesti videbantur, *Patrum* tamen omnium suffragio, *Iudæi*, *Ethnici*, *Porphyriani*, & quidvis potius quam quod dici cupiebant, nempe *Christiani*, dicebantur. Illi Blasphemiam suam palam proferre, vel præ Timore non ausi, vel Conscientia retardati, eam mollire, dissimulare, & specioso aliquo velamine obtegere studebant: hinc Divinitate *Christi* liberaliter concessa, Æternitate vix diminuta, adversus unicum τὸ ὁμοούσιον dimicabant, in reliquo Symbolo egregiè Orthodoxi (a): Attamen Ecclesiis omnibus

(a) *Socrates lib. 2. cap. 10. & lib. 5. c. 31. ibi* τὸ ὁμοούσιον *impugnant, cæterum agnoscunt æternam ejus Divinitatem, & fatentur quod sit* κεφάλαιον πίστεως τῆς πίστεως, καὶ βεβαιότης ἵνα ἡ πρὸς ἀεὶ φυλάττηται.

nnibus expulsi, Communione fugati, Patrimoniis exuti; tanto supplicio luebant unius Vocabuli Reticentiam potius, quam Abnegationem. Quorum autem Causa pejor est, eorum non iniquum est ut Pœna saltem sit eadem: imo quum Sectarii Nostri tantopere excedant Priorum flagitia, sumus aliquanto quam par est mitiores, si tantum communi nobiscum compellatione excludantur.

Addi potest in *Sociniauorum* præjudicium, quod ipsorum Hæresiarcha (a) *Photinus* ab *Arianis* ipsis, utut perperam sentientibus, excommunicatus ac diris devotus, quos affectas speravit, sensit vindices. Quantus autem iste habendus est Error, qui ab unà Errantibus damnabatur? aut cur ii demum à pu-

(a) *Athan. Hist. 59.*

ro intaminatoque grege recipiantur; qui olim in corruptum infectumque non fuerant admissi?

Scio quid hic respondeant (a) Sociniani, *Se nempe Authoritate non moveri: sua parum interesse quid Ecclesiæ Doctores senserint; nam & illos homines fuisse, nec ullo Privilegio sic donatos, quo minus Errare potuerint. Iamdiu*, inquiunt, *suspecta est antiquæ Ecclesiæ Fides; eodem itaque jure se priora quatuor Sæcula non admittere, quo nos rejicimus posteriora duodecim. Novitatem scilicet & professentium paucitatem Veritati non officere, cujus Dignitas nec ab Annis nec à Clientibus æstimanda est; cùm plerumque Error soleat & Canitie simul & Propugnatorum numero esse venerabilis.*

Alia,

(a) Author libri de Pace & Concordia Ecclesiæ. (a)

Alia, ſed in hunc fere modum, & in eundem finem tendentia, diſſerunt *Sociniani*: quorum omnium is unicè ſcopus eſt, ut aliis omnibus antiquiſſimè Fidem detrahant, quo mihi unis credatur. Cauſæ tamen diffidere videtur, quiſquis Teſtes refugiat; & Iudicio ſuo nimis blanditur, qui *Antiquitatem* ideo contemnat, quod ſecum non conſentiat. Iidem autem qui tot Noſtrorum agmina impugnant, Unum ipſorum Patrem *Photinum* jactanter allegant; at qui tantum Autoritatis Uni tribuunt, exemplo ſuo docent, quid Nos omnium conſpirationi & junctis Suffragiis deferamus.

Sed conceſſo, quod *Photinus* ille tot præterea *Patribus*, & *Socini* ævum tot *Seculis* præferatur; conceſſo, quod jam inde à Chriſti Temporibus Mundus deſiit eſſe

Christianus, & evidentem Errorem (sic (a) enim vocant) una cum Bibliis, è quibus refelli queat, traduxit; fortasse valeret hæc immodesta totius Mundi & Ætatum omnium criminatio, nisi *S. Scriptura*, in qua præsidium quærunt, *Ecclesiæ* istius Decreta confirmet, eosque penitus à Religionis Societate arceri præcipiat, quicunque, *Sociniano*rum instar, Novum Deum, & aliam, quam quæ præscribitur, Fidem introducant. Itaque

SECUNDO, Probatur *Autoritate Scripturæ*: Utcunque enim *Sociniani* indignentur se *Hæreticos* vocari, licet in Unius Christi nomine gloriari videantur, (b) & sub tanta Compellatione infamem Sectam protegere velint; nunquam tamen

(a) *Socinus ad Transylv.*

(b) *Christus est Dominus noster; ab eo denominari cupimus omnes.* Ostorod. in Præfat.

tamen evincent eos qui Falsum Christum adorant, *Christianos* dici debere.

Christus enim ille quem *Seculorum* retro omnium consentiens conspiratio coluit, quem & Scriptura colendum proponit, is non Factus, sed Natus Deus est; nec Divinitatem aliunde accepit, sed secum in mundum tulit: Ille Patri Coævus, Majestate Par, Essentia idem, se ultro exinanivit; & peracta ærumnosæ vitæ scena seipsum rursus extulit; nec inde Novam reportavit Gloriam, sed Priorem resumpsit. Illum nos Christum colimus, à quo creati pendemus; versus illum dirigimus preces, à quo & Animam accepimus: Illum adjutorem speramus, qui à seipso potens nativam, non mutuatitiam vim exserere, & quibuscunque velit, non tantum precario succurrere valeat.

Testimonia Dignitatem istam *Christo* ascribentia quæ *S. Scriptura* passim exhibet, si singula repeterem, Dissertatio hæc in Volumen excresceret; & totus ille Codex esset in Argumentum transcribendus. Divinitas autem illa quæ ubique innuitur, in *Evangeliis*, præsertim *Iohannis*, relucet adeo & tam vivide demonstratur, tam exactis coloribus depingitur, ut eam quicunque legant, agnoscere cogantur; nisi præparato obstinatoque ad Errorem animo præjudiciis suis indulgeant, & præfracte nolint convinci.

Talis igitur est Noster Deus, & Illius nomen præferimus *Christiani*, quem Mundus olim Creatorem sensit, quem Angeli Rectorem prædicant, quem Pater ipse æternum Filium proclamat: cui cum Honorem, cujus alioqui retinentissimus

simus est, suo parem decerni curet, palam testatur Essentiam ejus suâ non esse inferiorem.

(a) *Sociniani* autem *Christo* Nostro blaspheme maledici, Divinitatem ejus ut aliquid Monstrosum derident, Æternitatem ut Ethnicum commentum (b) rejiciunt; reliqua Attributa tanta ignominia afficiunt, aliaque tam horrenda proferunt, ut ego repetere non ausim, quæ Illi scribere non verentur. Nolo quidem proferre quæ hac exparte impie commenti sunt: verum si *Christi* honor omnino ascititius sit, si ab alterius arbitrio totus pendeat, si supremi Numinis minas

(a) *Vide librum de falsa & vera unius Dei cognitione, Patris, Filii & S. Sancti. Authoribus ministris Transylvaniæ. An.* 1567. *ubi* Christum *nostrum aiunt esse ab* Antichristo excogitatum, *& Trinitatem,* Tripetfonatum Deum *perpetuo vocant; & Impurissimum Servetum mire laudant. Eadem fere habent Socinus, Slichtingius, aliique.* (b) *Illud de Præterno Dei Filio, putidum est Ethnicorum commentum.* Smalc. in Refut. de Verb. Inc.

minas & Ipse timeat, & cum libuerit Patri Prærogativam pariter & Essentiam sit amissurus; is fortasse dici poterit *Socinianorum* Divus, at *Christianorum* Deus dici non poterit; nos enim constantius diviniusque Numen colere jubemur.

Itaque Qui Deum obtrudunt nobis mancum, Creatoris egentem, & potissima sui parte diminutum; qui Christum proponunt talem, cujus Essentiam ipsi æquent, & postea, ut æqualem contemnant; qui (a) denique Creaturæ serviant, &, *Græcanicam* superstitionem in Religionem Nostram inferentes, Mortale Numen adorent; post hæc Opprobria si *Christiani*

(a) *Si homo tantummodo Christus, cur in Orationibus invocetur?* Tertul. de Trin. *Si hominem à Deo separaveris, ut Photinus, illi nunquam ego credo nec servio.* August. de verb. Domini, lib. 58. Μωρόν τι κτίσιν θεολογεῖν, καὶ τὴν πρώτην ἐντολὴν ἀθετεῖν. τί γὰρ ἡ κτίσις παῖς κτίσεσιν ἐργάζεται; &c. Epiph. Hær. 69. Sect. 56.

ſtiani nuncupentur, &, cujus Naturam tollant, ejus Nomen ſortiantur; quidni poſtea & Atheiſmus Pietas audiat, & pro Numinis Cultoribus habeantur, qui vel Eſſentiam ejus negent, vel Potentiam circumſcribant? certe utrumque ſcelus pariter excuſari poteſt, ſi omnibus qui Ignorantiam prætendant, Eccleſia ſit Aſylum.

TERTIO, *ex Analogia inter Doctrinam Socinianam ac Ethnicam.* *Ethnici* quidem dicuntur (a) ignorare Deum, & antequam (b) à Chriſto fuiſſent inſtituti, verſati fuiſſe tanquam *Athei* in Mundo: quilibet tamen *Paganus* tantundem de Deo novit, quantum de Illo *Catecheſis Sociniana* credi poſtulat; nempe quod Deus & ſit, & æternus

(a) Gal. 4. 8. Οὐκ εἰδότες θεὸν, ἐδουλεύσατε τοῖς μὴ φύσει οὖσι θεοῖς. (b) Eph. 2. 12. ὅτι ἦτε χωρὶς Χριστοῦ, &c. ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, καὶ ἄθεοι ἐν τῷ κόσμῳ.

nus sit, perfecte Potens, Iustus ac Sapiens, aliisq; insigniendus Epithetis, quæ (a) Elegans rerum Ordo & Visibilis mundi Compages citra discursum ullum Intuentium oculis patefacit. Suum etiam insuper colebant *Gentiles Iovem* Σωτῆρα, *Phœbum* Ἀπολλῶνα, *Herculem* Ἀλεξίκακον, h. e. alium quendam *Minorem Deum*, quem olim Mortalem fuisse, nunc autem pro *Salvatore* agnoscebant. At si *Illi* propterea *Athei* dicantur, si Iræ ob hoc ipsum statuantur obnoxii, quid quæso de *Socinianis* autumandum est, qui hæc ipsa pro præcipuis Religionis capitibus venditent? aut quo jure *Christiani* censeri velint, qui in *Ethnicorum* Commenta turpiter ac palam degenerant?

Nolo hic urgere, quam vana (ut

(a) Rom. I. 20. Τὰ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθορᾶται, ἥτε ἀΐδιος αὐτοῦ δύναμις καὶ θειότης.

(ut omittam interim quam Blaſphemia res ſit, Hominem in Deum evehendo, ineptam illam veterum Ἀνθρωπομανίαν inſtaurare: ſi enim quondam merus Homo Chriſtus fuerat, quomodocunque tandem exaltatus ſit, etiamnum tamen Homo eſt; quocunque demum honore inſigniatur, adhuc Creatura eſt; natura ſua circumſcriptus, & imperfecte potens; iiſdem legibus, eidem nobiſcum & Fato obnoxius: Sic licet Sol ſplendore, Sydera magnitudine cæteras res excellant, communem tamen cum infimis naturâ habent, nec ulla collatitia dignitate à Mortalitatis conditione eximuntur; uti optime adverſus *Arianos* arguit (a) *Epiphanius*. At ſi Homo tantummodo *Chriſtus* (ut *Franciſci Davidis* verbis utar) cur ut Deus in-

(a) *Hær.* 69.

invocetur; cum (a) invocatio Hominis ad præstandam Salutem judicetur inefficax? Imo, si Homo Christus, cum *Tertulliano* (b) interrogo, cur spes in illum ponitur, cum spes in Homine maledicta referatur? Certe si Hominem à Deo separaveris, ut (c) *Augustinus* ait, Illi ego neque credo nec servio; uti nec Purpuram veneror, cum à Principe auferatur. Si etiamnum Homo sit *Christus*, h. e. angusta, finita, limitataque Essentia; quomodo ille tot obire munia, inque sufficere negotiis queat, quæ & Humanæ Necessitates exigunt, & à Numine exspectantur? Infirmitate potius sua præpeditus, sedebit in Cœlo anxius mœrensque, quod

(a) *Arguit* Franciscus Davidis *omnem Adorationem Christianam ratione sc. quod Creatura cali non debet; & non veretur sic scribere*: Itaque Christo in quiete sua placide permisso versari, nihil nos ab eo nunc juvari apud Deum vel credamus vel curemus. *Smale. cont. Franz.* (b) *Lib. de Trinit.* (c) *De verbis Domini lib.* 52.

iis succurrere ut Homo non valeat, à quibus ut Deus gratis invocetur. Nolo ulterius exaggerare hanc Numinis Nostri Contumeliam, sed quandoquidem tale Numen sibi præoptant *Sociniani*, procul hinc cum *Christo* suo sunt ablegandi.

Sic autē arguunt Sociniani: (a) *Se* nempe *uni Scripturæ fidē addicere, atque inde tantum post scrupulosam indaginem edoctos, hujusmodi Dogmata propagare: quod si erraverint, grandem tamen* (inquiunt) *facimus Mortalitati injuriam, si Lapsus mentis Scelera vocemus, aut eos Impietatis arguamus, qui profiteri non audent quæ non intelligunt. Se quidem non libenter Christum diminuere, quem adorant; aut de industria illi injurios esse, cui etiam* (dum detrahunt) *inserviunt: quicquid hac ex parte statuunt, se unius Dei Patris*

(a) *Autor libri de Pace & Concordia Ecclesiæ.*

tris timore statuere, ne quod Filio addant, Patri auferatur. Se quidem nunc Illum pro Deo vero agnoscere, Illius majestatem mirari, cultum promovere, cæteraque quæ Numini debentur munia præstare: Ecquid vero de Honoris Corona decerpitur, quod Fortunam tanti Principatus Patri debeat, & Dignitatem jam adeptus sit, quam pridem non habuit? Saltem excusatione digni sunt, qui Christum ea tantum parte videre volunt, qua humano generi se videndum obtulit: Nec inde, aiunt, *aut erga Ipsum Amor, aut in Illum Fides minuitur; Amor enim Præsentibus contentus, retro oculum non reflectit, nec ea, quæ olim erant, requirit; uti nec oculus fertur in absentem extinctamque Pulchritudinem, si præsenti florentique satietur.* Concludunt itaque, *dum præsentem Christi Divinitatem abunde agnos-*

noſcant, non tam acriter vindicandam eſſe illatam ab invitis prætoritæ injuriam.

Ne odioſæ Apologiæ diutius inſiſtam, breviter reſpondeo.

1. Primo: quod ad S. Scripturam attinet, è qua præcipue Defenſionem petunt, dolendum profecto eſt Sacram illam, & divinitus traditam Normam, à pravis ingeniis tam miſere perverti ac in alienos ſenſus diſtorqueri poſſe; quanta diligentia Textus conferant *Socinian*i, Commata perpendant, & minutiſſima quæque perſequantur, ut peregrino Dogmati fidem faciant, & quæ inde extrahere non poſſunt, extorqueant; jam omnibus nota eſt hæc protervа ſagacitas; quam palàm præcipuè facit vir, multis nominibus à me ſumma cũ laude nominandus, D^r. *Owen*, Eruditiſſimus pariter ac Reveren-

dissimus Author adversus *Biddelium*: Sed ne à Decessorum, uti crimine, sic, nec defensione absistant, notat *Epiphanius* hoc *Arrianis* solenne fuisse; nempe περιδρομὴν τῶν λέξεων, perrepere ac tentare omnia, Voculas expendere, Phrases Discutere, & undique conniti, ut, quandoquidem verum sensum concoquere non possent, rederent saltem suum probabilem.

Secundo, quod ad Ignorantiam, quam culpæ suæ prætexunt, attinet, dicendũ, quod hic non Error quidem, sed Furor est, Mysteria jamdiu receptа in dubium vocare, & quæ simpliciter credi oportebat, sacrilega curiositate discutere. Aliud est ignorare Naturam Christi, aliud præcise negare; datur (quamquã id nimis est, sed fortasse datur,) Dubitationi venia, verũ qui de altera parte præsumpsit, dubitare desiit: & dum

dum Errorem ſuum obſtinate defendat, ab eo, quod ſimpliciter Errantibus indulgetur, Patrocinio, ſeipſum excludit.

Concludo itaque & Statuo, *Socinianos* nec eſſe nec dici debere *Chriſtianos*. Reddant nobis *Chriſtum* noſtrum, antequam in idem Conſortium admittantur; alias Domini Honorem prodimus, ſi, qui Majeſtatem ipſius minuunt, ſub illius Nomine cenſeantur. Ad volutabrum ſuum amandantur immundæ ſues: quanto magis intra ſepta coercendi ſunt violenti ac rabidi Canes, cum ab immani horum feritate plus timendum ſit, quam abs fœda illarum ſegnitie? Ea eſt Religionis Noſtræ puritas, quæ nullas ſordes ſibi admiſceri dignetur. Temere enim expandere *Eccleſiæ* fores, & quibuſvis aditum vulgare, illud eſt *Haram*

facere, non *Ecclesiam*; & *Arcæ Noachi* in hoc solo similem, quod, etiam impura Animalia, illic impune delitescant. *Ecclesiæ* facies, quasi inde venustatis aliquid sit conciliatura, non est maculis deturpanda; nec in arcem intromittendi sunt Hostes, ne muro potiti ipsos tandem expellant Custodes. Errores consociare (a) & dissentientes Doctrinas in unum corpus colligere, idem est, ac si è disparibus & in diversum tendentibus nodis, aliquis innectat vinculum: hinc enim, Catena peribit; illinc, Concordia.

(a) *Malesida semper fuit & publicis calamitatibus previa hæc Religionum Ferruminatio*: Arnob.

THE-

Thesis Secunda.

Sola ratio non sufficit ad mysteria fidei percipienda.

(a) *Tertullianus, aufer*, inquit, *ab Hæreticis quod cum Ethnicis commune habent, & Argumentatio ipsorum*, immo & causa, *perit.* Ut omittam autem quam pertinaciter aliis in rebus consentiunt, certe, dum de Ratione contenditur, conspirant adeo, ut, ex utriusque Stylo ac Methodo, nescias prorsus utrum Ethnicus scribat an Christianus. Utrinq; enim tument, pariter Scientiam pollicentur, & Fidem Argumentis destitutam sic exagitant, ut prope contemnere videantur.

Ut enim, Primo, ab Ethnicorum Calumniis incipiam, scimus à *Celso* (b) Christianis præcipue objectam fuisse inscitiam; *Sola* inquit,

(a) *In libro adv.* Hermog. (b) *Lib.* 1. Origen. *adv.* Cels.

facere, non *Ecclesiam*; & *Arcæ Noachi* in hoc solo similem, quod, etiam impura Animalia, illic impune delitescant. *Ecclesiæ* facies, quasi inde venustatis aliquid sit conciliatura, non est maculis deturpanda; nec in arcem intromittendi sunt Hostes, ne muro potiti ipsos tandem expellant Custodes. Errores consociare (a) & dissentientes Doctrinas in unum corpus colligere, idem est, ac si è disparibus & in diversum tendentibus nodis, aliquis innectat vinculum: hinc enim, Catena peribit; illinc, Concordia.

(a) *Malesida semper fuit & publicis calamitatibus prævia hæc Religionum Ferruminatio*: Arnob.

THE-

THESIS SECUNDA.

Sola ratio non ſufficit ad myſteria fidei percipienda.

(a) TErtullianus, *aufer*, inquit, *ab Hæreticis quod cum Ethnicis commune habent, & Argumentatio ipſorum*, immo & cauſa, *perit.* Ut omittam autem quam pertinaciter aliis in rebus conſentiunt, certe, dum de Ratione contenditur, conſpirant adeo, ut, ex utriuſque Stylo ac Methodo, neſcias prorſus utrum Ethnicus ſcribat an Chriſtianus. Utrinq; enim tument, pariter Scientiam pollicentur, & Fidem Argumentis deſtitutam ſic exagitant, ut prope contemnere videantur.

Ut enim, Primo, ab Ethnicorum Calumniis incipiam, ſcimus à *Celſo* (b) Chriſtianis præcipue objectam fuiſſe inſcitiam; *Sola* inquit,

(a) *In libro adv.* Hermog. (b) *Lib.* 1. Origen. *adv.* Celſ.

Fide nituntur, rationis Patrocinium ideo recusantes, quod ejus examen metuant. Errores suos, Stultitiæ professione, tanquam Nube tegunt, & sub crasso ignorantiæ velamine sese occulunt, quo fucatas merces liberius divendant: Pergit Impurus ille, & Apostolos (a) *Præstigiatoribus* comparat, *qui exclusis quorum judicium reformidant, in Theatro se apud Imperitos jactant, credulum vulgus & Incautam plebem captantes; ut haberent nimirum quorum simplicitati illudant: dum enim ignaras,* ait, *alliciunt Animas, dum Demonstrationes abdicant, & citra Discursum, imo discursu renitente, credi postulant, dum Dogmata sua inter incuriosos divulgant, & dolo malo sapientiam infamant; quid hoc,*

(a) Ἐξομοιοῖ τοὺς ἀλόγως πιστεύοντας τοῖς Μητραγύρταις καὶ τερατοσκόποις &c. ὡς γὰρ ἐν ἐκείνοις πολλάκις, ἐπιβαίνοντες τῇ ἰδιωτείᾳ τῶν εὐεξαπατήτων, ἄγουσιν αὐτοὺς ἢ βούλονται· οὕτω, φησὶ, καὶ ἐν τοῖς χριστιανοῖς γίνεται. *Orig. adversus Celsum, lib. 1.*

hoc, inquit, *aliud est quam ut iis imponant, quos isto nomine invitant; & cum facile redargui possint, eos, à quibus redarguantur, non admittant?*

Hinc in Religionis nostræ contumeliam, inquit, (a) *Iulianus*, οὐδὲν ἄλλο τὸ πίστευσιν *requirunt Galilæi, solam Fidem ingerunt, & superstitionem suam non sua vi, sed credulitate nostra confirmant*; atqui, (b) pergit apud Eusebium alter, *cui arrideat* ἄκριτος καὶ ἀβασάνιστος πίστις; *cui non debeat suspecta esse ista Fides, quæ judicia mortalium reformidet? debet apparere* (c) *Veritas, seque ad Rationis tribunal ream sistere, quo magnifice & vincat simul & Triumphet, & judicem suum secum in Subsellium trahat: aliter enim Intellectum gratis improbare, & nulla ratione data rationem exuere velle; idem est ac si quis sibi*

(a) Socrat. & Cyrillus. (b) Proœm. Prep. Evang. lib. 1. (c) Author de Pace & Concord.

oculos eruat, quo in alterius ductum se permittat; cum in via, quam ipsi eligimus, errare, sit aliquanto optabilius, quam, ad alterius Arbitrium, recta circumduci. Nemini unquam persuasit Cœcus Tenebras suas esse Luce amœniores; at idem fere furor est, si Fidem profiteamur cum Rationis dispendio; Rationis enim Lene & Constans Imperium est; at qui Obsequio Fidei captivum alligavit Intellectum, servitutem patitur propemodum infinitam: cum, ea tantum quæ sciri debeant, quæque apud omnes constent, Ratio imperet; omnia vero quæ fingi possunt, quæque, nisi incerta sint, credi nequeunt, præscribit importuna Fides.

Ethnicorum, Convicia potius, quam Argumenta, non repeterem, nisi iisdem, dum contra Fidem disserunt, hodie utantur etiam Illi, qui videri vellent Christiani: sciant au-

autem, se Causæ, cui tantopere favent, saltem malam famam conciliare; dum eam, perverso armaturæ genere, h. e. non nisi *Paganorum* Telis propugnent. Revixit sc. illa Ætas, in qua, uti de Ævo suo queritur (a) *Bernardus, irridetur Simplicium Fides; & ita omnia sibi arrogat humanum ingenium, ut nihil Fidei reservet; adeo quicquid sibi pervium non invenit Ratio, illud tanquam rem nihili rejicit, & credere dedignatur.* Quis non putet revolvi seculorum ordinem, cum hodie recurrant quæ olim plorabantur? Fuit & inter nos versatus aliquis, qui *Fidei Christianæ meritum evacuare laboravit, dum totum quod Deus est, arbitratur se debere, imo posse, comprehendere*: Quis non putet ista descriptione *Abailardum* à *Bernardo* innui tantum, at *Socinum* intel-

(a) *In Lib. Epist. 76. &c.*

telligi? Ille enim ubique *ad Intellectum provocat, & de rebus quæ supra Rationem sunt, Rationem appellat; quo facto & contra Rationem præsumit, & contra Fidem; quid enim magis contra Rationem est, quam ubi Res intelligi nequit, Intellectum advocare, h.e. Rationem Ratione velle transcendere? Quid item magis est contra Fidem quam credere nolle quicquid Ratione non possis attingere?* uti Argumentatur adversus *Abailardum* (a) *Bernardus.*

Cæterum quantum *Religioni* officit, qui nimium *Rationi* favet, inde patet; quod, iisdem in Scholis ubi Philosophia viguit, Atheismus prævaluit; eosdemque, cum Scientia, gradus suscipere solebat Impietas: unusquisque enim de se præsumit, sibi blanditur, &, cum Ingenio cedendum sit, etiam adversus Imperium Numinis audet reniti.

(a) Ep. 72.

ti. Aliter tamen docemur à *Christo*: ille *innatam hanc Superbiam exui, intellectus contumaciam edomari, eaque omnia rejici*, præcipit, *quæ nos ab Infantibus secernant*: (a) qua methodo ostendit nos Præceptis Ipsius, quo ea minus percipimus, eo melius parere.

Explicato in hunc modum Controversiæ statu, dico, quod Humana Ratio, res Divinas ex se percipere & intelligere non possit: idque Duplicem ob Causam.

1. *Ob Imbecillitatem Organi.*

2. *Ob Præstantiam Objecti.*

Primum Argumentum sumitur *ab Intellectus humani Imbecillitate*: si nativis enim illustraretur radiis, & primigenia fulgeret Luce; si, qualis Adamo insinuata est, eandem hucusque obtineret claritatem; totum illico, quasi cognatum,

(a) *Matt.* 18. 3.

tum, hauriret cœlum, & cognitionem, quantamcumq; Deus Creaturæ indulserit, non injuria sibi arripere posset, & tanquam debitum vendicare: verum quum sciamus vividam illam flammam jamdiu consenuisse, &, fœculento interceptam vapore, lentius Lumen vibrare, hinc demum pendere, & fugitivæ ac tremulæ Lucis ductum sequi, idem profecto est, ac si quis, extincta præeunte face, ambulet, & lucernæ loco, directricem sibi proponat laternam. Cum sentiamus debilitatas vires, & imminutam discernendi potentiam, cur tamen, ardua conando, recordari videamur beneficii *Adamo* indulti, immemores interim ejusdem per illum amissi? Nihil quidem in *Scripturis* notius est quam Hominem & *Miserum* esse & *Cæcum* esse: Intellectu, tam angusto, tam pene nullo,

nullo, præditum, ut audacter pronunciet *S. Sp. nec Bonum esse uspiam nec Intelligentem*: itaque *Sapientiam*, qua nos efferimur, *Scriptura* ut deprimat, *Sapientiam* vocat *Elementarem*, *& hujus Mundi*; nempe talem quæ humi defixa, ultra *Mundanam Sphæram* non evehatur.(a) *Quisquis ex Carne nascitur, Caro est*, inquit Salvator; h. e. Caro, & præterea Nihil; nullo vigore, ardore nullo, nisi mutuatitio, incitandus: In mundum adeò Imperfectæ eximus & Informes Moles, ante acceptum Spiritum, Figurâ pariter & Animâ destituti. *Spiritus* enim est ζωοποιῶν, qui, Cadaver illud, potiùs quam Corpus, animet; adeò ut qui nondum secundariâ illâ ac meliori animâ, nempe spiritu, sint donati, ii necdum *Rationem*, de qua præsumunt, sunt adepti.

(a) *John.* I.

depti. Nam si homo Merus, suóque tantum Genio actus, se contempletur, reperiet sibi cum Bestiis non usque adeo disconvenire, ut spretis illis de seipso superbiat. (a) *Solomon* non veretur asserere, *neminem mortalem Bestiis præstare*; siquidem per omnem vitam pariter visis percellimur, & ultrà Fidem sensuum non spontè promovemur. Sola itaque Dei Gratia est, quæ nos planius distinguat: alias enim in hoc uno discrepamus miseri, quod Bestiæ Mysteriorum penitus incapaces sint; nos ad eadem admodum inidonei: Illæ Fælicitatem, quam nunquam habuêre, non requirunt; nos, amissam flemus, eóque gravius angimur; quod, de pristina Beatitudine, nihil reliquum sit, præter inexplebilem ejusdem recuperandæ sitim; eam-

(a) *Eccles.* 2.

eamque, cum humanitùs reſtaurari nequeat, tantummodò in Supplicium datam. Hujuſmodi multa congeri poſſunt, quæ *Scriptura* teſtatur, & omnes, quotquot ſunt, homines vera eſſe experiuntur. Quis neſcit enim *Rationem*, clientibus ſuis ſæpe imponere, cum ſequaces, ſi non ſemper fallat, ſemper tamen incertos dimittat? Cur itaque *Eam* in Divinis admittamus Interpretem, quæ in humanis perverſè judicet? & quidni Eam in Alienis hebeſcere autumemus, cùm in ſuis plerùmque caliget?

Verum ſi *Infirma* tantum *Ratio*, non etiam & *Rebellis* eſſet, poterat fortaſſe iſte Defectus diligentia ſuppleri; ſed, novimus *Intellectum* Religioni adverſantem, & Iugi impatientem nihil admittere, quod, ipſe ſibi præſcribendo, non emolliverat. Pulchertimè deſcribit *Apoſtolus*

stolas Duellum quod inter *Christum* & *Rationem* intercedit; inducit *Rationem Armis suis* Νοήμασι, ὑφάμασι, διαλογισμοῖς aliisque telis, *militariter instructam*; quibus munita adversus veritatem *Christi* prælium triste aggreditur: profligatur tandem, sed *spiritualibus armis*, & priusquam *Captiva ducatur* de Certamine nō desistit.

Cum itaque *Cæca* sit *Ratio*, & viam ordiri non possit; cum *Rebellis*, & rectè pergere nolit; ab *ejus* consuetudine prorsus abducendus est animus; & adoptiva perfrui luce, curandum est potiùs, quam familiaribus insistere ac immorari Tenebris; quas [a] *nunquam Ratio discutiet*, cùm eas, utpote assuetas & usu notas, foveat, &, nisi repurgata, nunquam discernat.

Secundum Argumentum sumitur *ab Objecti Præstantia.*

Ob-

(a) Lucr. *lib.* 1. *Errorem Ratio discutiet, & lucida tela diei.*

Objectum Religionis *Christianæ* duo continet; *Credenda* scilicet, & *Agenda.*

Primo, quod ad *Credenda* attinet, quis nescit in *Symbolo* nostro, quot *Verba*, tot & *Mysteria* contineri? Etsi enim *Deum* esse Singula proclament, *Creatorem* tamen fuisse, nullis unquam *Philosophis* persuasit *Ratio:* & eos qui, (a) vel *Autoritate Majorum*, ut *Tullius*, vel *Conscientia* moti, Deum affirmarunt, qualis tamen ille Deus sit, nunquam *Ratio* docuit. Lege (b) *Aristotelem*, & reperies illic *Deum Mobilibus sphæris*, veluti *Ixionem* Rotis, misere alligatum: Evolve *Platonem*, (c) & illic invenies *Deum quendam Curiosum, inanibus Ideis occupatum, & humana negotia ma-*

 gnifice

(a) *Lib.* 3. *de Divin.* à te Philosopho rationem accipere debeo Religionis; Majoribus autem nostris, etiam ratione nulla reddita, credere. (b) *Oct. Lib. Phys.* (c) *Dial. Time.*

magnifice despicientem : Consulas (a) *Epicurum*, & occurrent tibi Ἀμίνηνα κώρηνα *Otiosa Numina, & Delitiis diffluentia, inq; cœlo, tanquam Paradiso, distenta & segniter degentia.* At si in discernenda ipsius *Dei Essentia* tam fœde erraverit *Veterum Ratio*, quid eventurum putes, si tum orta fuisset *Dei Vnius simul & Trini* mentio? nonne qui vel *Vnicum* esse *Deum* ægre consentirent, admittere gravarentur illum *Vnum* in *Trinum* multiplicari? Contra, qui Cœlos Deorum Turba implebant, & Divinitatem in varia Numina, veluti tot Rivulos, secabant, nonne iis pariter displiceret *Trini Dei* in *Vnum* Resusio? Atqui cum audirent in Eadem *Essentia* distinctos esse *Subsistendi* modos, *Varietatem* illic absque *Diversitate*, & citra *Confusionem Vnionem* conspici;

(a) *Lucret. Lib.* 1. Scias Deos purum agere ævum, &c.

ſpici; ſi hæc audirent, nonne ſtatim proclamarent, iſta *Impoſſibilia* ſunt, *Abſurda* ſunt, *Non Intelligo*, *Credere nolo*? quales Voces modeſtas ſentit Iniqua *Ratio*, at ut Furioſas repudiat *Fides*.

Pergo: ſi Argumenta quibus *Providentia* firmata eſt nunquam plene approbavit *Ratio*, ſed Miſellum Hominem, extra Numinis curam, veluti indignum, ablegavit; quanto minus ſe morigeram præbebit, ubi differat aliquis de Illa *Clementia*, qua Homines non tantum *protegere* contentus Deus, etiam & *Redimere* curavit; qua exitio deſtinatos eripuit; &, ſibi obnoxios factos, ultro Legis ac Pœnarum vinculis exſolvit; prius tamen per ſeipſum perſoluto, quod ſibi debebatur, pretio?

Refragaturam iſtis incredulam *Rationem* prævidit *Apoſtolus*; ita-

que quo ad ipsius Doctrinam via foret explanatior, in prima ad *Corinthios* Epistola, *Humani Intellectus Vanitatem ac Inscitiam* demonstrat: ait, se scire quidem *ista à Græcis, qui Demonstrationes urgebant, Stultitiam*; *à Iudæis* (quibus quidem familiaris erat rerum ferè non minorum Fides, tamen) *Scandala* reputari: Itaque ne, illorum exemplo, vel Pravo simus vel Dubio animo, nos à nobis abducit, & *nostrarum virium non esse* pronunciat *Talia*, non dijudicare tantum, sed *nepercipere quidem*. Itaque ψυχικὸς inquit Ἀνὴρ, (h.e. vir Purgata anima, & Facultatibus puris instructus) cum jam se ad Disciplinam paraverit, &, quæ ad Contemplationem requiruntur, perfecerit omnia; Talis tamen, οὐ δέχεται, non capit tanta Mysteria, h. e. non sic capit ut eorum Certitudi-

ni

ni acquieſcat. Nulla ſcilicet Anima veritates Divinitus patefactas inter ſuas Notitias numerat; nec iis, veluti connato pabulo, libenter inhæret: ſed, inſtar potius vitiati & inſinceri ſtomachi, quicquid hujuſmodi imbiberit, nauſeabunde rejicit.

Verum cur diutius contendam, *Dei* qualis hodie repræſentatur, *Naturam* ab *Illis* comprehendi non potuiſſe, qui ne *ſuam* quidem ſatis caperent? *Animam* enim *Corpori* ſuperſtitem, in amœna quædam loca migrare, &, neſcio quale, *Elyſio* frui, faciles dixerunt *Poetæ*; ſed nondum probarunt *Philoſophi*. Illi nimirum ſic arguebant, ut *Immortalitatem* non alias aſſererent, quam *Immaterialitatis* Præſumptione: quod *Argumentum*, quam vanum & ad perſuadendum ineffi-cax ſit, inde dignoſcimus, quod

plurimi *Animas*, veluti capite damnatas, morte multabant, ideo præsertim, quod quale sit Illud *Immateriale*, de quo præsumebatur, non intelligerent. Scio quid alii respondeant; verum, si in *Prima*, & quam aliqui *Nativam* volunt, *Animæ Prærogativa*, adeo parum perspexit *Ratio*, quid putemus dicturam fuisse, si tum *de Corporum resurrectione* inaudisset? Crederentne *Rationis Patroni* divisos cineres congregari posse, divulsaque redintegrari membra? qui de *Anima* ipsa pæne actum putabant, an *Illi*, dissipatas recolligi Atomos, &, eos in Cœlos usque, *Terreum Cadaver* evehi sperarent, quos *Puriori Animæ* non audebant plane spondere? Quale futurum erat *Veterum* hac de re Iudicium, colligere est ex *Posterorum Censura*; *Paulum* enim Ἀνάστασιν prædicantem, ut

ut *Inaniloquum* deridebant *Epicurei*, & *Stoici* averſabantur, ut *Novi Numinis* Fictorem. (a)

Secundo, quod ad *Agenda* attinet, eadem & in illis occurrit difficultas; Scimus enim, pariter & dolemus omnes, *Præceptis Chriſti* non minus reſiſtere *Voluntatem*, ac ejuſdem *Dogmatis*, *Intellectum*.

Singulis non inſiſtam, ſed concludo potius & ſtatuo; ſcilicet, quod Homines iis hodie obſepti ſint Tenebris, inque nocte ſua adeo ſibi placeant, ut Divina intueri nec poſſint unquam nec velint. E contra autem tanta eſt Religionis Puritas, ut ſi imparatis Animis influat, eas ſplendore ſuo obruerit potius quam illuſtraverit. Fruſtra verſus Solem dirigimus mortalem & infectam aciem; Inutilis audacia eſt, cereis imparibuſque alis æthera tentare. Precandum ita-

(a) *Act.* 17.

que ut quos *malefida* destituit *Ratio*, eos, nova tandem luce donatos, & pristino confirmatos vigore, in Abdita sua, certior deducat *Fides*.

An

An bona infidelium opera sint peccata. Affirm.

Queritur (a) *Iustinus Martyr* de sui ævi Zelotis, quod tum extiterint plerique, qui ad propriam iram trahentes singula, illuc etiam & Christi Evangelium accommodarent; in interpretandis Dei decretis, non Scripturæ sensum, sed suum, proferentes. Istis placuit universum pæne mundum tantum in pœnam nasci; quasi placidum & benignum numen, *Saturni* instar, crudelis Pater evaserat, & feritate motus, aut devoraret ipse filios, aut lapsorum ruina gauderet. Mirari autē merito possumus, qua confidentia censerent se posse subtrahi communi exitio; &, cum tot Myriadas necessario damnari (nescio an cuperent, certe) putarent; qua

(a) *Ep. ad Zen.*

qua fiducia se unos, solitariasque suorum animas, eripi crediderint: cur non verebantur eadem ipsi subire Tartara, quæ in aliorum supplicium adeo liberaliter laxarunt. Quis enim ausit, imo quis velit, sperare se Beatum ac incolumem fore, toto præterea pereunte mundo? *Iustinus* ipse, ne tam rigidæ faveret inclementiæ, in diversam longe abiit sententiam; &, quia Isti, quos refellit, nullis parcebant, Ille propemodum omnibus indulsit salutem, Divinæ gratiæ non minus Ipse Prodigus, quam Illi vindictæ. Itaque *Gentilium* æque ac *Christianorum Patronus*, in *Apologiis* suis, utrosque pariter defendit; idem utrisque patere cœlum, eadem contribui privilegia, communemque reservari beatitudinem, serio asserit. Hinc in *prima Apologia* inter *Martyres* recenset *Socratem*, cui

ne

ne omnino quippiam deeſſet, quo cœlum poterit quaſi ſuum intrare, affirmat inſuper Chriſtum ab Illo fuiſſe cognitum: In *Apologia ſecunda* ulterius pergit, ubi pronunciat Chriſtum eſſe Λόγον, ᾧ ἀυτῷ πᾶν γένος ἀνθρώπων μεταχεῖν· & poſtea, Οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες, Χριστιανοί εἰσι κἂν Ἄθεοι ἐνομίσθησαν· οἷον ἐν Ἕλλησι Σωκράτης, Ἡράκλειτος, καὶ οἱ τούτοις ὅμοιοι. hoc eſt, *Chriſtus eſt Ratio* (ſic enim interpretandum cenſeo τὸ Λόγον) *cujus omne humanum genus particeps eſt; & quicunque ſecundum Rationem vivunt, Chriſtiani ſunt, licet vulgo Athei habeantur; quales inter Græcos fuere Socrates, Heraclitus, aliique iis ſimiles.* In officioſa hac viri clementia, jure improbamus Charitatem adeo laxam diffuſamque; quæ cognitionem Chriſti, à Iudæis olim quibus promulgata eſt non perceptam, & Nobis hodie non niſi divinitus inſinuatam,

tam, tamen tam vulgarem cenſeat faeilemque, ut eam inter κοινὰς hominum ἐννοίας reponi poſtulet; quaſi deinceps, exulante Fide, præſideret Ratio, & in Religionem mera ſufficeret Philoſophia. Utcunque (tam prona ſunt ſcil. etiam muta animalia ad ſuo favendum generi) extitere nunc & olim plerique, quibus hæc ſententia, tanquam magnifica & Deo digna, multum arriſit; errorem, ſi forte fuerit, conſolaturis hoc argumento, quod gratiſſima culpa ſit laborare nimio humanitatis vitio. Inter veteres huic opinioni faventes nullus *Clemente Alexandrino* diſertior eſt; qui ubique *Philoſophiam* eſſe *Græcorum* παιδαγωγὸν affirmat (*uti Iudæorum Legem*) *cujus unius dogmata ſi ſic ſequerentur ſalvi ut eſſe velint, non requiri præterea aliam ſalutis methodum: nec enim Deum ejuſmodi creditorem eſſe,*

eſſe, qui plus exigeret quam donaret; aut, qui fructum illinc colligi poſtulet, ubi nullam fecerit ſementem. Si vero decrat iis quippiam ad exactam Chriſti notitiam, Ipſe ad Inferos deſcendens defectum iſtum ſupplevit, palam arguendo cohortandoque infælices animas; quarum ingentem numerum ſecum exportavit (etiam non perſoluto vel Charonti vel Plutoni tam diuturnæ moræ ſtipendio.) Hanc Hiſtoriam, &, tantum non orationem ipſam qua Dominus uſus eſt, habemus in (a) Clemente ac Origene. (b) Hos ſequitur *Chryſoſtomus*, (c) inſuper addens, *ſuffeciſſe Gentibus ad vitam æternam unius Dei cognitionem.* Cui effato communiter ſubſcribunt, inter Veteres, *Pelagiani*; inter modernos, *Zuinglius*, *Socinus* & eorũ aſſeclæ: qui, minime avari Fælicitatis diſpen-

(a) Στρωμ. *Lib.* 7. (b) *Lib.* 2. *adv.* Celſum. (c) *Hom.* 37. *in Mat.*

pensatores, omnibus promiscuum cœlum vulgant; & quasi inter Animas, uti sexus non est, ita nec conditionis sit discrimen, in eundem Paradisum indistinctim singulas admittunt: quo facto, capacitatem potius istius sedes intueri videntur, quam Tramitis angustiam. Dupliciter autem arguunt pro *Infidelibus.*

1. *Excusando eorum infidelitatem.*
2. *Laudando eorum opera.*

Primò, *Excusando eorum infidelitatem. Quod*, inquiunt, *Christũ Ethnici nescierunt, quod Redemptorem non sperarunt, (quo indigere se citra divinam opem noscere non poterant,) infælicitati eorum, potius quam Culpæ, imputandum est: utique non peccat aliquis negando Solem, Cœlum stellasque diffamando, si semper in tenebris habitavit: uti huic oculus, ita illis auris, ad ingenerandum*

randum fidem deſuit; quæ, utcunque nunc vigeat, tamen abſque auditu futura erat nulla. Famæ, hiſtoriæque debemus, quod omnino credimus: at quæ Gentes, poſt futuri tã grandis facinoris, ſuſpicio tangeret, cum nec Iudæos, Cerimoniæ, iterataque quotannis ſymbola, ſatis ad ejuſdem fidem erudierint? Verum Iudæos, in Dominum ſuum palam rebelles, in Salvatorem immites, excuſat Petrus, quod (a) *Ignorantes fecerant. Nonne vero & eadem Græcorum defenſio eſſe poterat, cum Cauſa ſit eadem? Quænam eſt hæc Deo inviſa προσωποληψία, ob idem factum, alterum populum damnare, alterum abſolvere? Huic, ſupplicium; Iſti, regnum decernere? Abſit tam iniqua perſonarum æſtimatio, nec Gentes temerè habeantur obnoxiæ, quod non crediderint; cum in aliorum exemplo ferè habeant Apologiam. Quem Fata cogunt, Ille cum venia eſt incredulus: Neceſsitas & legem pariter, &*

de-

(a) *Act.* 3.

delictum tollit, cui dum obtemperarunt Ethnici, non poterant offendere Iudicem, istius Necessitatis Authorem.

Secundò arguunt, *Laudando illorum opera*; quorum duo sunt genera.

1. *Vnum, ad Intellectum & Scientiam.*

2. *Alterum, ad Voluntatem & Mores, refertur.*

1°. *Quod ad Scientiam attinet: ut cæteræ omittantur Artes (quibus nos*, aiunt, *indigne fruimur, qui tam inclementer earum authores tractamus) unicam illam, sive scientiam, seu sapientiam, urgere solent, scilicet Numinis Cognitionem; quæ, Illis Nobiscum, adeo Conjuncta & fermè eadem est, ut ad idem tuendum Dogma, non nisi Gentilium utamur argumentis.*

Quis enim, Dei confirmaturus essentiam, non arguat, aut (a) *à Motu ad Motorem cum Aristotele; aut cum Tullio* (b) *ab ornatu ad Artificem? immò quicquid contra Atheos*

(a) *Lib. Phys. 8. & 3. de cælo.* (b) *Lib. 2. de Nat. Deorum.*

Atheos dici potest, ab illis hausimus; in quorum scriptis, τὸ γνωστὸν Θεῦ aque apparet expressum, ac Cordibus fuerat insculptum: ideo Apostolus insimulat eos, non quod ignoraverint Deum, sed, quod non (a) *glorificaverint: quod tamen fecere multi, & poterant feciſſe omnes, aliter reliquis non verteretur vitio.*

Etsi vero Vnus & Alter, vel impiè statuerit Dei essentiam, vel absurde, Providentia sublata, eam reddiderit inefficacem; istud tamen flagitium omnibus sine summa injuria imputari nequit; cum paucos hosce non minus reliquæ olim irriserint Scholæ, ac hodie Pulpita condemnent. Sic unius cujusvis hæresis, Orbi Christiano dedecori non est; nec ob Monstra quædam rara ac infrequentia, culpandus est Naturæ ordo. Certe Iustinus, Clemens, aliique Patres audacter pronuntiant, selectiora Religionis nostræ Ca-

(a) Rom. 1.

pita, Philosophis & nota fuisse, & fermè communia: hinc Trinitatem, ex Platone & Trismegisto, fere omnes (a) *explicant; adeo quod Nos mysterium, Sociniani contradictionem autumant; Philosophis istis familiare fuit, & inter vulgaria habebatur. Angelorum naturam Genii, Dæmones, aliaque entia, Dii minorum gentium dicta, satis indicant.*

Ut concludam, *Quid inter Iovem istorum, & Iehovam nostrum; Satanam, &* Ἄτυν; *Resurrectionem, & Metempsychosim; Tartara, & Damnatorum sedem intersit,* aiunt se videre non posse: *nisi ideo opiniones Ipsorũ improbentur, quod nomine differant; &, quod nos Hebraicâ, id est aliena, Illi Græca, id est, suâ utantur Phrasi. Verùm præter Arcana hæc, quæ utrisque pariter sunt Fidei Articuli;* (adeo in eodem symbolo cõspiramus) *quis præterea tantum*

(a) *Vide* Justin: Mar. *Apol.* 1. Clement. προτρεπ. Euseb. Προπαρασκ.

tum non Inspiratos Libros, Scripturamque fermè Sacram iis deneget, qui Legislatores Illorum novit, Numam, & Lycurgum, hunc Egeriæ [a], *Illum Apollinis* [b] *familiarem; certè, utrumque Numine aliquo, & potentiori, quam mortali, Genio afflatum? Legimus quotidiè Vates Ipsorum, Musæum & Homerum; Prophetas, Epicharmum, & Empedoclem: & ne quippiam desit, novimus Sibyllas, tantum non Evangelizantes.*

2°, *Quod ad Officia attinet, vitæque Civilis munia; quis Tullio ornatius, Aristotele doctius, Epictete strictius, virtutes vitiaque descripserit? quorum omnium, etsi Libri Gentiles sunt, certe Ethica sunt Christiana. Et, ne tantummodo scribi hæc, non autem agi putemus; quis Aristidis Iustitiam, Scipionis Continentiam, Numæ Pietatem, Catonis Constantiam, non ita admiretur, ut æquare cupiat, superare desperet?*

(a) (b) Plutarchus *in eorum vitis.*

In quantum virtutis apicem licuit Gentili aſſurgere, ex uno Socrate doceri eſt: cujus Cauſam qui ſatis norit, vix ſortem eandem recuſabit; aut vanum putabit Averrois votum, ſit Anima mea cũ Philoſophis: [a] *cur enim non ad ſumma præmia deſtinentur, quos tam divina facta commendant?*

Fuſius deduxi *Adverſariorum* argumenta, ne inaudita cauſa viderer quempiam damnare; præſertim tot ſecula, & Majores Noſtrorum omnium, quibus omnibus libenter vellem parcere: quod ne nunc faciam, ſola Scripturæ Authoritas obſtat, cujus Regulæ affectum omnem ſubmitto moderandum: amorem enim extendere ultra quam præſcripſerit Deus, haud minus flagitium eſt, quam remittere, ubi perfectus requiritur. Huic Normæ, uti me meaque omnia, ſic

(a) Sancte Socrates ora pro nobis, *Eraſm. in Collog.*

ſic & Rationem dedo, lumen iſtud tenue & erraticum, quod dum ſibi ſoli credi poſtulat, dum tenebras omnes diſcutere pollicetur, viamque moderari, in Aquas Nos, in gurgites, in Abyſſum deniq; ſequaces nimium ac credulos præcipitat.

Primo itaque, per *Bona Opera*, intelligo *Virtutes*, quas in *Philoſophis* admiramur; quæ tamen, ſi Actus potius quam Animus Agentis attendatur, à praviſſimo quoque poſſunt præſtari: quos enim Natura non dederit bonos, effecit aliquando tales aut Commodi ſui, aut Gloriæ cupido.

Secundo, ſumo *peccatum* non in illo ſtricto ſenſu, qua legi Gratiæ opponitur; ſed in laxiori illo, ſc. qua denotat quippiam Legi Naturæ contrarium: vel adhuc generalius, qua comprehendit quemlibet Actum, qui ad aſſequendum

ultimum Bonum Hominis, ſc. vitam Æternam, ſit inefficax: ſic tamen, ut potius Erratum ſit, quam Noxa.

Quibus poſitis, affirmo, *Bona Infidelium opera Peccata* eſſe triplici reſpectu.

1. *Objecti.*
2. *Medii.*
3. *Finis.*

PRIMO, reſpectu *Objecti*: ubi audacter aſſero, ſolitariam unius Dei Cognitionem non ſufficere ad fælicitatem; niſi addatur & Cognitio Chriſti: quod & ipſe *Salvator* affirmat, dicens, (a) *hæc eſt vita æterna, ſcire Te Deum unum, & Filium quem miſiſti*; & *Apoſtolus* ad *Galatas* ſcribens, (qui unum licet Deum agnoſcerent, tamen quod Chriſtum ignorarint) ait, *eos vixiſſe tanquam* (b) *Atheos in mundo.*

Falli-

(a) *Ioh.* 17 3. (b) *Gal.* 3.

Fallitur quiſquis autumat aliam in alia ætate Mundi traditam fuiſſe ſalutis Methodum : ſecula quidem variantur, & non unus eſt Ætatum tenor, non tamen una mutatur ad cœlos via; nec Æternitas, quam Chriſtus unus & patefecit & peperit mortalibus, cuiquam præterea alii tanquam acceptâ referenda eſt. Certe ille fruſtra mortuus eſt, ſi alibi vitam aſſequi daretur; fruſtra ſui ſanguinis impenſa redemit Mortales, & caducum Mundum in Æternitatem fruſtra aſſeruit, ſi eadem hæc virtute humana & Naturali probitate poterant obtineri. Salvatore opus non eſt, ſi unuſquiſque ſibi potuerit eſſe Salutis Authors; & proprio ingenio mereri cœlum, quod ignoravit. Certe aliter *Iudæi*, quanquam pervicaces, autumarunt; qui licet verum Deum, inter tot mortales, ſoli co-

lerent, omnia tamen apud eos ſacra, fuerunt Chriſti præludia: in quem ſperare juſſi ſunt, cum vix adhuc in umbra appareret, & Solem illum in media Caligine ſuſpexerunt. Non putandum autem facilius Gentes, quam Iudæos, potuiſſe adipiſci Cœlum; aut, in mitiora pacta à Deo reliquum Mundum, quam ipſius populum, obſtringi. Verum, ſi demus non requiri, ut prioribus ſeculis Chriſtus innoteſceret; &, ſi concedatur fuiſſe ſatis, Deum unum agnoviſſe; quis tamen affirmabit hac ex parte non defeciſſe Gentiles? cum ſciamus in *Idololatriam* prolapſos omnes, etiam *Philoſophos*; ob quod unicum flagitium Deo fuerant quam maxime inviſi. Nimirum is, Honoris ſui acer & ſeverus vindex, unam hanc ob culpam, Cananæas gentes antea excidit,

&

& olim reliquas damnabit.

SECUNDO, reſpectu *Medii*: nulla enim Actio ſine *Fide*, nulla *Fides* ſine *Charitate* profutura eſt. Quæ, duæ ſunt Animarum alæ, quibus adjutæ evolant ad cœlos, non aliter pervios; quibus tamen carere *Gentilium Actiones* manifeſtum eſt: vix autem probari queat, Illis Deum largiri voluiſſe Paradiſum, quibus non conceſſit Itineris Adjumenta.

TERTIO, reſpectu *Finis*. Finis autem Bonæ Actionis eſt Duplex.

Primo, ad Nos
Secundo, ad Deum } refertur.

In utroque autem peccarunt *Gentiles*.

Primo, Finis, quantum ad Nos attinet, non eſt ἐνέργεια ψυχῆς, cum (a) *Ariſtotele*; aut *Virtus*, cum *Tul-*

(a) *Ethic. lib.* 1.

(a) *Tullio*; aut *Voluptas*, cum Epicuro: ſed aliquid aliud, quod par Animæ præmium ſit; quod ſua præſtantia omnes ejus vires evocet; ſc. Immortalitas. Huc anhelamus Chriſtiani, hac ſpe ſolamur caduci corporis miſerias, & ideo toleramus anxiam hanc vitam, quod aliquando fruendum ſit Æterna. Verum *Animarum Immortalitas* à *Philoſophis* adeo obſcure definita eſt, ut hac ex parte nihil Illis intricatius ſit & magis perplexum. *Socrates* ipſe jam jam moriturus, ſuæque reportaturus Probitatis præmia, non auſus eſt credere ſe Immortalem fore; (b) ſed ſic diſceſſit, tam dubius hærenſque animi, ut fere putaverim Illum acceleraſſe ſibi mortem, non alterius vitæ ſpe, ſed hujus Tædio.

Se-

(a) *Diſput. Tuſcul. lib. 5.* (b) Plato *in* Phæd. & Xenoph. *in* Apol. τὸ βέλτιστον θεὸς οἶδεν, &c.

Secundo, Alter *Finis* ad *Deum* refertur, ſc. ad *Dei gloriam*; quod *Apoſtoli* & *Naturæ* præceptum eſt, *omnia ad Dei gloriam fiant:* quam tamen adeo parum curarunt *Ethnici*, ut Dei gloriam ſuæ poſthaberent: immo ut *Sapientem* ſuum attollerent *Stoici*, Deo fecere parem, has enim lego & horreo in *Seneca* (a) voces; *ſapiens Deorum ſocius eſt, non ſupplex:* &, *Bonus ipſe tempore tantum à Deo differt, ſed ideo non melior eſt Deus quia diuturnior.* Eadem ſunt *Chryſippi* & *Epicteti:* & licet modeſtius egere reliqui *Philoſophi*, ſuæ tamen Famæ omnes ſunt velificati: Hæc inſignes dedit; Hæc unica Viros protulit: cui cum adeo ardenter inſervierint *Ethnici*, nimium liberalis eſt, qui aliam iis præterea tribuat mercedem. Verum, quia gratum opus habebitur, ſaltem

(a) *Epiſt. 58. & alibi paſſim.*

ſaltem bona verba donare; remunerabor *Paganos* ob præclara & fortia facta; nolo eadem omnibus tormenta infligi; *aliter* (ut *Auguſtinus* (a) ait) *Catilina, aliter Fabricius punietur*; mitior uret Socratem flamma, &, Illi, mercedis inſtar erit, moderatior pœna. Quiſquis aliud quippiam donaverit, cœlumque, quod Fidelibus ſolis reſervatum eſt, Iſtis divulget, ultra modum miſericors eſt, & alieni præmii nimis prodigus largitor.

(a) *In diſput. adv.* Fauſtum.

FINIS.